

G-F 4880

J. Moyano

t. 81293

DECL

A

ORATIO

IN REGIA

VALLISOLETANA UNIVERSITATE

pro solemnii studior. apertura

HABITA

D. D. D. D. Laurentio Arrazola
in eadem Universit. Academ. Orator.
Moderatore.

XV KAL. NOV. ANN. DOM. M.DCCC.XXXIII.



VALLISOLETI APUD APARICIO.



C. 1105290

R. 65832

ORATIO

IN REGIA

VALLISOLETANA UNIVERSITATE

Longum est iter per præcepta; breve, et efficax
per exempla.

Senec. Epist. VI.

abazari G. d. n. m. 2. 3. 4. 5.

Sit ergo Magister tam eloquentiâ, quàm moribus
præstantissimus..... qui dicere, ac facere doceat.

III. XXX. CCCC. XXXIII. *Quint. Inst. lib. II. cap. III.* VI



VALLISOLETI APUD APARICIO.



Non ut doceam, egregia, inclitaque
 Academia, sed ut debitam tot præclaris et
 juvenum studentium, et mei ipsius ducto-
 ribus rependam gratiam, justumque, ac li-
 berrimum præbeam testimonium, qua reli-
 gione, quo studio, Doctores amplissimi,
 nuper mei Magistri, saluberrima vestra mo-
 nita retinuerim, quâque animi gratitudine,
 ac fidelitate tradam, de magistrorum mune-
 re loquar. Si enim, ut ait Tullius, nullum
 aliud munus, neque majus, neque melius
 Reipub. afferre possumus, quàm si docemus,
 atque erudimus juventutem; quid honestius,

quid dignius, tum hujus altricis præclarissimæ Matris, tum nostri omnium, quibus saluberrima, et ardua cura instructionis incumbit, quàm de hoc præstantissimo, gravissimoque munere agere, inquirere, ac pertractare? Meherclê, si me, qua de re Magister indesinenter agere deberet, interrogarent, de magisterio dicerem. ¶ Quis inter privos, de Repub. benè merentes, strictiùs, sacrioribusque vinculis obligetur Societati? Magister. Quem post primos vitæ parentes omni cum amore, et reverentia, omni cum obsequio, et gratitudine colere, diligere, atque etiam vereri oporteat? Magistrum. Sed ¶ quantum idèo ex nobis, vel ipsa rei natura exposcit, ut grave tantum impleamus! ¶ Qua morum integritate, qua assiduitate, quo studio! ¶ Qua in dicendo facilitate, qua gravitate verborum, qua sententiarum profunditate, et acumine! ¶ Qua prudentia in moderando, qua dulcedine in corrigendo, qua humanitate in animadvertendo distingui oportet! ¶ Quot artibus, quot disciplinis pol-
lere, quo professionis amore flagrari, qua hominum cognitione, sanctitateque doctrinæ

insignis debet esse Magister! Vos scitis, Doctores, meque à vobis didicisse fatear. Quicumque publicum ministerium, publicumque munus juventutis instituendæ ambiat, id sciat, ut jam, non sibi, sed Patriæ, moribus, Religioni vivat. Hæc á vobis quotidie, qua cordis integritate, ac auctoritate estis, repetebantur. Sed quàm optimè, insignes, omnique commemoratione digni, Magistri! Quid enim est Magister, nisi juventutis amicus, morum institutor, adolescentiæ, et humanitatis amator, Patriæ fultor, Principumque, atque parentum gravissimarum curarum fidissimus sustentator? Meritò, igitur, tot honoribus, et cœncomiis cumulantur Magistri: meritò nostri omnium amorem, liberrimumque obsequium sibi vindicant: jure, ac meritò denique, sicuti vices parentum gerunt, sic omnium honorum consideratione, et reverentiâ funguntur. Sed cum non pauca in Magistrorum munere veniant, non omnia, sed ea tantum, quæ ad nostrum propositum, ad magistrum jam constitutum expectant, prout res brevissima expostulat, percurremus.

Et quidem: nemo nescit quali, quanta-
 que diligentia Principes in Magistrorum
 electione, sua si bona, muneraque amplissi-
 ma norint, insudare teneantur. *Ab infan-
 tia praestigium sumite*, perpetuò dixerim, *qui
 imperii postea habenas regere, ac modera-
 ri tentatis*. At si ad Magistrum jam consti-
 tutum attendamus, illud in primis tenen-
 dum credo, ut praeter eximias discentium
 animi dotes, assiduitatem nempe, libe-
 ramque animi dispositionem, nihil tantum
 confert ad progressus discipulorum, quam-
 tum opinio, nomen, exemplumque Magistri:
 unde id agere necessariò tenetur, ut amo-
 rem, atque benevolentiam adolescentium sibi
 vindicet, publicam aestimationem abripiat,
 exemploque potiùs, quàm explicatione com-
 pellat; alioquin, neque sibi prodest, nec
 Reipublicæ saluti, ea, quâ par est, utilitate,
 ac solitudine inservit.

Et re ipsa quidem: ea est hominum in-
 doles, atque natura, ut priùs imitatione,
 quàm ratiocinatione sapere incipiant. Pue-
 rulus, adhuc infans, ægrè admodum, et
 quasi *authomaticè* videt: postea imitatur:

sensim demum, et quidem serò, ratiocinatur, et agit. Hic est modus Naturæ. Cumque ob id efficacissimè, fortiùs quidem exemplo, quàm ratiocinio trahamur, per se patet, quali, quantaque sedulitate juvenes, non tantum propriis, verum etiam aliorum, et quidem honestorum, exemplis institui oporteat. *Vix autem dici potest*, ait Quintilianus, *quanto libentiùs imitemur eos, quibus favemus*. Quò et illud veterum certissimum expectat: *longum est iter per praecepta; breve, et efficax per exempla*. Quod si de quolibet extraneorum exemplo dici potest, quò tendit illa antiquitatis in factis, æneisque statuis celeberrimorum hominum publicè exponendis sollicitudo, ¿qua potiore ratione de Magistrorum exemplis, quorum est primas juventuti notiones imprimere, ipsamque, puram ceram, tamquam ad typum efformare? Væ nobis, ¡heu! si cum mores, et habitus adolescentium formare debeamus, socordiâ, aut negligentîâ perdimus ipsi! ¿Quomodo enim rudis ab indocto, negligens à negligenti docebitur? Cum verò scientia, mores, atque Religio in officio Ma-

gistri contineantur ; quomodo circa hæc tria tantum opus implebit, nisi in omnibus, tum verbis, tum factis omninò excellere constanter deprehendatur?

Quod scientiam attinet, non sufficit, ut qualiacumque, quin et multa, et optima nobis sciamus. Oportet ea omni cum commendatione, et intensione, omni cum applicatione, et efficacia, omni cum auctoritate, atque etiam venustate sermonis, imbuamus. Videant discipuli Magistrum doctum, et audient: videant et ipsorum, et scientiarum boni verè cupidum, atque sollicitum, et concupiscent: videant denique fecundum, profundum, gravem: videant morigeratum, ac rectum, et amabunt, colent, verebuntur. ; Quomodo enim, quem suo tenero, nec mendaci semper iudicio, sapientem credunt; non audient, quem publica æstimatione probatum vident; non probent, quem denique providum, sollicitum, de eorumque salute anxium animadvertunt; non imitabuntur? Quòd si mala è contrario stipite profluentia numerare velimus, ; quis modum, finemve pravæ, quin etiam remissæ

tantum educationis, assequi valeat? *Magister rudis*, ajebat Tullius, *dimidio stultiores redit adolescentes*. Quid ni et negligens negligentiores? Carissimi, meique insignes et Socii, et Magistri, é nostro exemplo salus, instructio juventutis descendit, Sciamus, ut sciant: vigilemus, ut vigilant: urgeamus, laboremus, fatigemur, ut agant.

Quod mores expectat, et quam normam, quos duces, quod exemplum, et oportunius, et efficacius adolescentes habebunt, quam parentes, ipsorumque vices gerentes, Magistros? *Plurimus eis*, ajebat Quintilianus, *de honesto, et bono sit sermo*. Et certè quidem: est aliquid in virtute, quod etiam improbo commendatur, vicissimque et premit, et arguit. Videat puerulus, tum et adultus, videant Magistrum et docentem, et colentem virtutem, et mea fide, amabunt, et colent. *Nulla res*, ait Seneca (a) *magis animis honesta induit, dubiosque, et in pravum inclinabiles, revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio*. Quid Ecquis melior, quis

(a) Epist. 94.

humanior, quis prior, nullaque discipulis malignitatis notâ suspectus, quàm Magister? *Vim praeceptorum obtinet*, ex ejusdem sapientis sententiâ, *audire, aspici frequenter*. Audiant, igitur, frequenter discipuli de virtute: aspiciant, ut ita loquar, virtutes, et mores, et herclê virtutum et morum, si non cultores, certè laudatores evadent. *Est aliquid*, addebat ipse Seneca (b) *quod ex magno viro, vel tacente proficias*. ; Heu! Nos quidem, probi Viri, qui juventutis ductores, et amatores et habemur, et sumus, magni viri, tum scientiâ, tum probitate simus, tuncque, etiam tacentes, carissimam, nostrisque curis commisam, juventutem docebimus.

Quod denique ad Religionem pertinet ;quam multa ex nobis lubricissima, atque etiam procacissima, exigit ætas! ; *Quod enim munus*, repetam cum Cicerone (c) *Reipublicae afferre majus, meliusve possumus, quàm si docemus, atque erudimus juventutem, his praesertim moribus, atque, tem-*

(b) Epist. 94.

(c) De Divinat. lib. 2.º

poribus, quibus ita prolapsa est? Apage vulgarem, et quidem perniciosam opinionem illam, mores, virtutem, Religionem, non nisi à quibusdam tractari, et debere, et posse. Quod si de congrua, profunda, ampla- que horum explicatione intelligatur, per me licet: at si de pietate, de exemplo, de maxumis, utilioribusque veritatibus sedulò inculcandis, digressiunculisque ad mores, prout se obtulerit occasio, loqui velimus, nulla ars, neque scientia Religionem respuit: nulla dedignatur diligentiam Magistri. In Phisica ¿quam admirationem non pariunt, qua vi in divinitatis contemplationem non rapiunt profunda illa, et, nullo tentamine omisso, adhuc impervia Naturæ arcana! ¡Qua voluptate in Chemia! ¡Qua oportunitate in Logica, in Methaphysica, dum de hominum intelligentia, atque ratione! ¡Qua ubertate, sententiarumque, et affectuum profunditate in vastissima medendi Scientia, dum de mirifica hominum structura, de perfectione, de ærumniis!!! ¡Qua denique veneratione, atque efficacia, qua cordis effusione in Ethica, in Jurisprudencia, in Theo-

logia, dum de moribus, de lege, de Religione, de Deo! Sed non tam de docenda, quàm de colenda Religione loquor: loquor de exemplo. *Nulla alia via efficacior est*, ajebat doctissimus Rollin (d) *ad virtutem, et Religionem persuadendam, et docendam, quàm ut juvenes Magistrum habeant, quem de his intimè convictum, atque persuasum videant. Et quidem: ea est vis exempli*, dicam cum Quintiliano, *ut primum ex eo fiat consuetudo, deinde natura.* ; Ecquodnam exemplum vehementiùs, efficaciùsque movebit, quàm quod intimam venerationem, quoddam divinitùs secum portat, Magistri? Quòd si mos cum doctrina congruat, jam, ex celeberrimorum sententia (e) *nihil pleniùs alit, quàm viva illa, quae dicitur, vox, praesertim praeceptoris, quem discipuli, si modo rectè sunt instituti, et amant, et videntur.*

En qualiter, Viri optimi, atque clarissimi, praestantissimo hoc, honoratissimoque

(d) De Studiis tom. 1. part. 1. §. III.

(e) Quint. Inst. lib. 2. cap. 2.

Magistrorum nomine obligemur. Quod si ad nos tantum referamus, et quid gratius, quid honestius, quid dignius nobis accidere poterat, quam si in hoc publico, quo sumus, ministerio constituti, tum discipulorum nostrorum, tum omnium bonorum consensu probaremur? et Quis est tam vecors, tamque sui ipsius amore alienus, ut, cum Magistrum aliquem insignem, optimum esse audit, non sibi tale decus desideraret? Si ad parentes, et amicos, et quam gloriam, jucundio remve honorem parare conaremur? Si ad liberos denique.... ad liberos, Viri optimi, et quodnam pinguius, uberiusque patrimonium, quam virtutis, et nominis, uno verbo, publicæ æstimationis, relinquemus?

Sed non ad nos, neque ad nostra, sed ad juvenes, nostræ curæ commissos, hoc Magistrorum munus referamus. et Qua docilitate, qua fiduciâ non Magistrorum monita audiunt! et Qua tenacitate non retinent! et Qua securitate non amplectuntur? Sed et quo genere culpæ, violatque muneris piaculo non gravabimur, quæve, licet magna, reparatio

sufficiet, si spem, fiduciam, totque salutis, futuræque felicitatis signa, negligentîâ, quolibetve de causa fortè deludimus!!! Clarissimi, è nostro egregio Magistrorum munere ad populorum salutem duo tantùm sunt gradus: salus populorum à recta juventutis institutione pendet; juvenum autem institutio à nobis. Mactè, ornati Viri: hæc nobis in mente semper insideant: illud numquam ex animo excidere curemus, quod magnus Gallorum princeps, Henricus IV, regia sanctione firmabat: *Omnium regnûm, et populorum, tum et Reip. Christianae salus à recta juventutis institutione pendet.*

Si ad horum nostrorum juvenum parentes attendamus, forsitan plus, quàm æquum, in nos onera educationis credunt transmissa. Sed quo jure ex nobis, non utcumque medioeria; sed plura, et optima non expectant? *Succedere se in eorum locum, à quibus liberi traduntur, existimet magister, ait Quintilianus.* Et quidem: sicuti locam, et curam, et animum parentum erga discipulos sumere oportet. Sic nos, tum persuasione parentum, tum vi muneris, atque natu-

râ, parentum curæ subijcitur, cui quàm ægrè mediocris diligentia respondeat, nemo est, qui nesciat.

Si denique amplissimam, justamque Patriæ expectationem, atque salutem contem-
plemur, cui suam egregiam, atque pul-
criorem juventutem, spem belli, atque to-
gæ, committit, nisi nobis, qui hujusce ju-
ventutis ductores, munificentissimo Princi-
pis dono, nominamur, et sumus? Quis
optimis, selectioribusque Magistris Respu-
blica non frueretur, nisi nos, res optima,
sed gravissima dictu, publicæ instructionis
clavim teneremus?

Quòd si huic nostri omnium, atque
etiam Castellarum, ne dicam totius Hispa-
niæ juventutis, communi Matri, suoque or-
namento, atque decori consulere velimus,
quid magnum, aut egregium non moliamur,
quid intentatum relinquemus, ut, sicut non
secunda, prima, si fieri potest, inter cæteras
hispani Regni, atque etiam totius Europæ,
Universitates evadat? Hic noster honos, et
labor est: hæc nostra gloria, et collaudatio.
Insudemus, conemur, agamus. Hoc est mu-

nus, et verum emblemata Doctoris: hoc et
Magistri.

Viri optimi, numquamque ex animo ex-
cidendi Magistri, his, meam dum regebatis
juventutem, imbuebatis: hæc mihi tradidistis:
hæc trado. Patiemihi igitur, ut in modum
cohortationis laudem vestram intendam. *DIXI.*

